
EMINENTISS. PRINCIPI

MARTIO CARDINALI GINETTO



Sanctiss. D. N.

VRBANI VIII.

VICARIO.

ET SEM. ROM. PROTECTORI.

THOMAS DADVS VRBINAS SEM. ROM. CLERICVS. F.



AD proemium Oratoriæ laudis cumulandum, quam in Iuone feliciter partam bono Romanæ Curiæ lumine mea demonstrauit Oratio; hoc vnum Iuonis gloria videtur expoſcere, vt

A eam

eam in terris etiam nanciſcatur lauream, quæ eam, quam è Cælo decerpſit, hoc eſt flammeam, viua colorum imagine imitetur. Quandoquidem tam Cælo militauit ſuo, quàm terris. Quod ne deſit, quò mihi confugiendum ſit vides EMINENTISSIME PRINCEPS; ad tuam ſcilicet humanitatem, quæ non minus vernat in Purpura, quàm in Roſa. Ad tuam ergo feſtinat Roſam lætabunda Oratio. Tu pro ea, qua ſoles omnes beneuolentia excipe ad te vltro feſtinantem. Tantum audet illa quamuis horrida ſpinis; quia nimirum bene nouit ſpinarum ſatellitium, hoc eſt obſequioſam ſeruitutem deberi Roſæ. Vale.



ORA-

ORATIO.



VICVNQVE Gigantis in speciem splendidas inter serenæ noctis tenebras matri visum Iuonem contemplatur; si maximum dixerit Oratorem, hic sane in somnio plurimùm vigilat Eminentissimi Principes. Etenim singula Oratoriæ facultatis decora expressisse in se, ornamenta omnia expleuisse, quæ in pluribus effinxit veriùs quàm laudauit antiquitas, quis maximi Oratoris esse inficiabitur? Et hanc quidem in Iuone bene partam laudem, quoniam per vestram licet humanitatem, amor est iucunda rerum ab eo gestarum commemoratione diligenter exquirere. Neque verò, ne iniucunda vobis accidat Oratio, pertimesco. Si quid enim insuaue, si quid ingratum ingenij tenuitate mei contigerit, id Iuonis auream dicendi copiam mitigaturam esse confido.

Ergo eloquentia suadere primus Oratoris nostri labor fuit. nam præclaris ortus natalibus Puer,

vix primioribus, vt aiunt, hauserat hunc vitæ ſpiritum labris, vix linguam ſoluerat in voces, cum ſumma precum cœpit eloquentia perorare. Dixiſſes in gremio matris præuiſum de ſe oraculum explendum meditari. Dixiſſes non modò factum; ſed eloquentiſsimum natum Oratorem. Et mentiar, ni fuerit eloquentiſsimus Orator Iuo, qui ſæpius in ſublime raptus corpore, in perpetuam vigiliam excubans corde, ad confinia noctis vſque Deo vacans declamauit ad eam ſolam cleplydram, quam pietas præſcripſiſſet: qui ſeptem ſolidos dies, totidemq. noctes abalienatus à ſenſibus, ingenti mentis, animiq. conatu in precibus fuit, adeo vt ſi dixeris Iuonem Cæli ciuem, inquilinum terræ, dixeris ſapienter. Nimirum, qui centum in ſe aperuit ora, quid ſi tanta præſtet eloquentia? Et non centum aperuit ora, qui è cunis egreſſus, ſolutus faſcijs totidem aperuit vulnera, dum latus ferrea diſcerpſit catena, quibus in ampla & locuplete domo, hoc eſt in ipſo voluptatis regno conſtitutus in regnatricem diceret voluptatem? Vſque adeo eloquentiſsimus extitit Orator, vt quod antiquiorum decantatum fuerat ſolummodo votum Oratorum, qui centum ora ſibi poſcebant, id feliciter Iuo perfecerit. Iam vero in Patria Domo bene

dicẽdi peritus Adoleſcentior cõtendit Lutetiam primùm, Aureliam deinde, non tam ſtudioſus, quam Orator iuris, qui tam feliciter quid Deo, quid ſibi, quid cæteris, tribuendum eſſet rebus geſtis, vel ab infantia pronunciauit. Hic enimvero ſermonem habuit plane aureum, alterum Oratoriæ laudis in Iuone præconium. Neq; enim in aurea Vrbe aliud niſi aureum ſonare debet eloquium: Neque in Oratore, & illo quidem maximo debuit tanta gloria deſiderari, quam in ſuis Oratoribus per ſummam aſſentationem finxit antiquitas, an verius deſiderauit. Quod vt clariùs exponam, ponite vobis ob oculos A. A Iuonis domum hoſpitalem Peregrinis, apertam Pauperibus, frequentem ægrotantibus, vni ſibi peregrinam, qui die per fora, per vicos, noctu per immenſos cæli tractus ſpatiabatur. Atque hic in vnum Iuonem mentis aciem defigite, numeroſæ pupillorum, pauperumq. multitudinis medium, tantiſper domi commorantem. An non videtis, vt Orator plane maximus, qua vena vberiore, & ſine lege, qua ſtrictiore, ſed multo cum pondere, quà medio quodam tenore manu, lingua ſcilicet cordis, modo auro, modo argento plena ſuam diſertiſsimè demonſtrat in Egenos caritatem, miſericordiam in calamitoſos,

ſos

sos, in pupillos sollicitudinem omnino pater-
nam? O quàm gratus pauperum illorum auri-
bus insonuit ille sonus quàm carus, quia aureus!
Vt verius affirmare possim hominum aures Gal-
lici Iuonis aureis catenis illigatas esse, quàm Gal-
lici Herculis auro, splendido sanè mendacio suas
finxere Veteres illigatas. Hominum aures dixi?
Immò etiam ipsum & Deum aurea illa fandi co-
pia deuinctum è patria Sede, hoc est è Cælo ra-
pere ad se Iuonis proprium fuit. Altius memo-
ria repetite instructissimum illud conuiuium,
quod innumeris diuersorum Ordinum, Nationum-
que Pauperibus pie parauerat Iuonis liberalitas.
An non adfuit illi etiam Ipsemet Deus pauperis
in speciem sordidati conuiua, qui largiter cibo
pastus, recluso tandem illo mortalitatis mutua-
tæ sippario dum euanuit, cumulato sanctissimæ
pacis munere donauit Iuonem? O sæcula verè
aurea! O fortunata tempora! O ætatem Superio-
rum nulli felicitate concedentem! Sed tu potio-
rem tantæ felicitatis in partem venis Aurelia,
quæ vna poteras dignum Iuonis auro aperire
Theatrum, quia vel in nomine fulget aurum.
O quantas intra mœnia excepisti diuitias, dum
ipsam diuinitatem excepisti! Splendidior profe-
cto Iuonis auro quàm tuo tantùm cæteris Galliæ
 Vr-

Vrbibus præstas, quantùm cæteris communi hominum æstimatione præstat aurum metallis. Missam libenter hic facio labentem Puellarum pudicitiam, numerata pecunia sustentatam, inlocabiles Virgines ampla instructas dote, integras egenorum familias infinita nummorum erogatione leuatas, ære alieno adstrictos summa liberalitate solutos, anxiam illam denique curam, quà per vias, per vicos, per Vrbem, cursitans, pauperes, ac Peregrinos vsque adeo, vt ita dicam venabatur, vt planè ambigeres violentiùsne domum raperet illos, an feliciùs ille in eorum raperetur amplexus. Ecce autem facundum illud aurum mutatur in fulmen: audio conuerti in tonitru suaue illud eloquium. An veriùs ille idem sonus, qui pauperum bono domi insonuit aureus, intonuit in foro fulmineus in audaciam potentiorum? Certe tam acriter pauperum causas virorum Principum auctoritate laborantes sustinuit, vt ad viuacem posterorum memoriam, gloriamq. immortalem suam Pauperum Patronus dictus sit, appellatione humili quidem per annos iam transactos, at imposterum gloriosa, quia Iuonis est. Siquidem hoc etiam habet Oratoria laus Iuonis omnino maxima, vt cum nihil gloriæ causa faciat, omnia tamen sint gloriosa

quæ

quæ facit . Proh quanto eloquentiæ fulmine coruſcabat Iuo apud Iudicum tribunal dum oppreſſam videbat Paupertatem ? Vidiſſes illum ponderoſis rationum momentis detectas retundere fraudes accuſantis, legum iurisq. iaculis illius audaciam ferire , oppoſita facile Iuriſconſultorum auctoritate diluere . At incaſſum laboras Vir ſanctiſsime . non tam pugnat in te. potentiorum vis , quam Iudicis auaritia. Auri ſplendore perſtrictus Iudex ſenſus habet ad tua fulmina conſopitos. Hìc enimuerò ſeueritatis veluti nube contracta in vultu portentoſa minarum tempeſtate reſonare, humanarum, Sacrarumq. legum fulmine fulgurare , prouocare ad iuſtiſsimam æterni Iudicis ſententiam, æternorum ſuppliciorum imminentem horrorem incutere , tonare , fulminare , omnia Pericle ſalubrius permiſcere . In diuina autem cauſa peroranda quantus extitit hic noſter Orator ? Teſtes eſtote vos milites in Sacra templa prædabundi irruentes , in quos orę ſolum minaciter ſeuero fulminauit Iuo, Vos Vrbes, Vos Oppida, Pagi, Gallia tota teſtis eſto , quæ è ſugeſto Iuonem , quà in vitiorum agmen acriter declamantem , quà pro virtute valido vocis impetu dicentem , quà concitata Oratione perditos homines è vitiorum cœno cogentem emergere, quà

cla-

clarè, dilucidèq. demum audisti sacra legis nostræ dogmata explicantem. Et quantùm extitit per Deum immortalem emolumentum! Nefariorum hominum præceps improbitas è scelere reuocata, intestinis dissidentes odijs beato pacis fœdere conciliati, lapsa religionis disciplina castigato veteri luxu ad pristinam redacta seueritatem, splendor restitutus aris, templis reuerentia, honor Deo, Religio fides, sanctitas, diutius ab hominum animis relegatæ in antiquam eorundem rediere possessionem. Sic nimirum illa verborum erudita tempestas serenitas fuit animorum. sic ille charitatis ignis, qui in fulminantis emicabat ore, beatæ pacis discolor Iris illuxit. sic illud concitati pectoris tonitru, dum teterrimi prædonis mentem in nostra damna vigilantem depressit, homines vitiorum senio torpentes ad prælium excitauit gloriosum. Iam vero satis est Iuo tibi declamatum. Sume nunc meritam tuis rebus præclare gestis coronam laurea donandus non iam Appollinari, sed quia ipsammet diuinitatem flexisti, diuina. Bene est: votum audijt Deus: voto subscripsit: Sanctissimumq. Pauperum Patronum senio confectum, maturum Cælo inter pluuias diuini Spiritus flammas, flammeis linguis, hoc est se ipso coro-

ro-

ronauit. Nimirum, qui diserta aurei eloquij catena Deum ligauit, quid si Deo coronetur? Atque hic etiam cum Iuone coronato postremam par est sortiri coronidem Orationem meam; si vestro prius ordini, Principes causarum Arbitri, tantam gratulatus fuero gloriam, tantam felicitatem. Iam non est qui fragiles, mortalesque ametis lauros; quibus melior in flammis virescit corona. Hæc ad Iuonem è Cælo transmissa, transmittetur etiam Iuonis patrocinio hæreditario tanquam iure ad vos non minus dignitatis, quam Iuonis integritatis hæredes.


DIXI.


DE S. SPIRITVS
ADVENTV
ORATIO
IN SACELLO PONTIFICIO
QVIRINALI
HABITA
A Iacobo Tolomeo Pistoriensi
Rom. Sem. Con.



29 27






ILLVSTRISS. AC REV.MO

S. R. E. CARDINALI

MARTIO GINETTO

S.MI D. N. VRBANI VIII. VICARIO

ROM. SEMIN. PROTECTORI.




IACOBVS TOLOMEVS F.



VAE prima ſub tuis auſpicijs, ILLVSTRISS.ME PRINCEPS, Te nempe Romani Seminarij Patrono, de S. Spiritus aduentu, lucem videt oratio; tuo

potiſſimum debuit & commendari patrocinio, & nomini dedicari. Vt hæ pietatis ac literarum primitiæ, quæ prouenerunt ex hoc bonarum artium hortulo, iam tuo, quiq; non ita pridem didicit ex tua Roſa vernare; Tibi tanquam Domino, præ cæteris offerantur. Eiuſdem quippe primitiuos præcipuè fructus eſſe decet, cuius in poteſtate ſunt & arbor, & fundus. Tu quo ſoles humaniſſimo vultu nos, & noſtra, imò tua reſpicere; hoc excipe palam propoſitum argumentum & auctoritatis tuæ, & obſeruantiæ meæ. Vale.



IGNEA



IGNEA CORONA.



D cœleſtis Ignis victorias enarrandas, B. P. opportunè ſatis Igneæ de cœlo linguæ labuntur: quæ dum Regalium Sacerdotum capitibus ardentem de ſe texunt coronam, facunda luce declarant, Ignem ſuum coronarium eſſe, ac triumphalem. Et iure, quibus hoc cœleſti prodigio triumphus portendebatur de terris, non ferro, ſed igne ferri domitore vincendis; non lauro decuit capita coronari, ſed flammis. Vt idem ille, qui cor inflammabat ad pugnam, ſpem excitaret ad palmam: & qui ſub huius Ignis militabant auſpicijs, ante ſe victores agnoſcerent, quam bellatores. Prælia quippe flammarum triumphi ſunt:

quorum pompa lux eſt, quorum plauſus fragor incendij. In quibus dum obſidione flammarum circumuenitur hoſtis, & coronatur; quid aliud eſt ignis ipſe quam corona? Et meritò dum bellum infertur, victoria præfertur ab igne, qui cæterorum corporum victor eſt. Cumque alia domet, atque abſumat omnia, nihil, quo coronetur, præter ſe, reliquum habet. Hæc ergo Corona Ignea, qua prima illa Christiani generis capita, non tam de cœlo tacta, quàm redimita ſunt, noſtros ad ſe rapit oculos, vt contemplemur; animos, vt veneremur: atque in his coronarijs cœli flammis præcipuas agnoſcamus victorias, quas ignis vel in campo Naturæ, vel in Artis theatro reportare conſueuit. Rerum cæterarum victricem ignis eſſe potentiam, vel ipſe teſtatur Mundus, qui vt validiſſimo murorum ſæpimento muniretur, igneis fuit mœnibus circumſeptus. Hoc enim vnum ex omnibus inuictum elementum.

Manil. Aſtron. lib. 1. *Flammarum vallo natura mœnia fecit*,

At quanto validiore munimento Chri-

ſtianæ

stianæ Reipublicæ mundum alterum se se vallaturum pollicitus est eius fabricator, & custos Diuinus hic Spiritus: dum per sanctissimum olim vatem immutabile fudit oraculum: Ego ero ei murus Ignis in circuitu. Et sibi metuat ab hostili ferro Ciuitas Dei, quam cœlestis Ignis tuetur? Trepidet ab hominum incursu, quæ se videt in complexu Diuinitatis? Non arma quæuis eliquabunt hæ flammæ? Non audaciam compescet hic ardor? Non sudorem ex inimicis vultibus; non sanguinem è venis hic Ignis eliciet? Ex ipso verò natali suo victor elementorum omnium pronunciatus est ignis, cum in quadripartita primorum corporum sede supremum, ac nobilissimum obtinuit locum. Decet enim supra elementa cætera illud esse, quod ijsdem vincendo superius est. Vincit ignis terrarum molem, cuius maxima, ac munitissima membra, defensas frustra moenibus vrbes, frequentibus exhaurit incendijs. Vincit aquarum vim gelidam, humentemque, hoc est sibi prorsus inimicam; dum è fontibus aliquot

Plin. l. 2. cap. 104. & 107.

quot, ac ſtagnis flammæ victrices exiſtunt. Aërem denique finitimum vincit; dum illum non modo in poteſtatem, ſed in ipſam redigit naturam ſuam. At quanto cœleſtis Ignis illuſtriores ſunt, amplioresq; victoriæ? Quas ille mundi partes non ſuis nobilitauit triumphis? Aſpice terrarum tractus immenſos à Diuini Spiritus triumphalibus flammis occupatos; non vt verterentur in cineres, ſed vt reno-
Pſal. 103. uaretur facies terræ: imò vt terra ipſa verteretur in cœlum, hoc eſt in patriam flammarum. Ignis quippe cœleſtis miſſus in ter-
Luc. 12. ram eſt, vt accendatur, & vbiq; gelu ſuperſtitionis extincto, vel Borealium glacies regionum ardore charitatis igneſcat. De aquis vero Diuinam hanc flammam triumphaſſe quis neget? Si (quemadmodum in Sacris mundi memoratur annalibus) ab ipſo rerum exortu, Spiritus Domini ferebatur
Gen. 1. ſuper aquas. Imò verò continenter ijs incubat: vt quot inde homines ad meliorem vitam excludit, tot erigat ſpirantia ſuæ monumenta victoriæ. Aërem ipſum Diuinus hic Ignis ea præſertim ignea ne

dixerim,

dixerim, an aurea, tempeſtate ſubiecit: qua nubila mœroris, ac timoris abijciens, clariſſimam inuexit mundo ſerenitatem. Ille ipſe ſonus aduenientis Spiritus vehementis, quid aliud fuit, niſi tuba non tam hortata pugnantem, quàm gratulata vincenti: niſi triumphantis de aëre Ignis plauſus, & carmen: niſi aëris ipſius, vnde ſonus ille reddebatur, iam cedentis, iam ſe victum fatentis vox in Ignis triumpho glorioſiſſima? Igneæ verò linguæ, quibus pro voce lux erat, ardor pro ſpiritu; quid aliud loquebantur, quam ſuas victorias ab aëre, in quem impetum faciunt, reportatas? Quod ſi linguam ignis illam eſſe dicamus, qua cœlum loquitur; imò ſuccenditur, dum ſuccenſet in terras: cum videlicet excandeſcit fulgure, tonitru comminatur, fulminea demum lingua peremptoriam dicit mortis ſententiam: an non hæc etiam in aëreo campo aërem ipſum perrumpit, fugat, ac fundit? Vt propterea viuida ſit imago flammarum eloquentium, ardentiumq; linguarum, quibus hodierna luce Spiritus Diuinitatis armatus, Act. 2.

tus,

tus, in aëreas poteſtates Igne fulgurauit, intonuit ſono, aduentus ſui vehementia fulminauit. Illæ demum de aëre triumphare videntur flammę, mortalium ſummis capitibus formidatæ; quæ non modo ſanguineos criſpantur in crines, atque horrentes comas, vnde nomen inuenerunt; non modo vibrantur vt iacula, faſtigiantur vt gladij, ventilantur vt faces; quæ pugnantis arma ſunt ignis: verum etiam, ne quis eumdem auſit negare victorem, in ardentes coronas circinantur. Quare mirum non eſt, à Regibus timeri hæc malorum coronata prodigia. Sed ò tuam ſolis nocentem noxis, ac flagitijs formidabilem lucem, Ignis Diuine. Horreant ſplendorem tuum, qui malè ſe tutantur tenebris ſuis. Timeant ab iſto fulgore, qui præ tanto cœli ardore non amant. Quid iam ego commemorem ſatis exploratas ignis in Artium vniuerſitate victorias? An non oculis omnium palam eſt, ſcintillam ignis minimam bellicis tormentis admotam, & pyrij nutrimento pulueris repente adultam, obuia quæque perfringere, moenia diſtur-

Plin. l. 2 c. 25.

Id. cap. 28. 29.

disturbare, arces euertere, omnia labefa-
ctare? Vt iam non tam ferri, quàm ignis
in manu victoria sit. Et sanè victoria, *Ioan. ep.*
quæ vicit mundum, illi debetur Igni, qui *1. c. 5.*
procedit ex Deo Deus. Nam omne, quod
ortum habet ex Deo, vincit mundum. *Ibid.*
Circumspicere licet omnia ferme re-
gna terrarum ab hoc Igne prostrata.
Sed ille fortasse clarior sit flammarum
triumphus, quem de metallis, inanimæ
naturæ parte præcipua, tunc reportant;
cum eorum formam, ac vim inuicem
commutando, supremam in ea præfe-
runt potestatem. O singularem hic
etiam, atque admirabilem cœlestis Ignis
efficacitatem. Plumbea mortalium cor-
da, quæ ponderosa sceleribus in terram,
imò infra terram, in medium pœnarum
locum ferebantur, in argentum versa sunt
integerrimi candoris; in aurum pretiosis-
simæ charitatis: quo duplici pretio cœ-
lum est venale mortalibus. Et dubita-
bimus Ignem hunc appellare victorem;
qui multò, quam alter, ampliùs, ac lu-
culentiùs de rebus procreatis omnibus
trium-

triumphauit ? Sed ab hominibus declarari victor, aut coronari non habet opus; qui corona Sanctorum hominum est; & hodie capitibus insidet, vt corona: neque nostras expectat acclamationes, & plausus; qui suis Igneis linguis aptissimum canit sibi Pæana victoriæ.

DIXI.

LAVS DEO.

